

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

He . 21.

5
PALÆSTRA QVARTA
THEOREMA-
TUM POLITICORUM,

exhibens continuationem

Felicitatis Civilis,

Qvam,

Favente Divinò Numine,

Consensu Amplissimi Philosophorum Ordinis,
publico sistunt examini

PRÆSES

JOHANNES GEORGIUS à Böhren /

Nobil. Prusus & Philosoph. D.,

Et


RESPONDENS

GOTHFREDUS VOGELIUS,

Rastenburgo-Borusus.

Ad d. Januarii, locò horisq; solitis

Inter natales exorientis Anni 1673.



REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT.

BRAND. ET ACAD. TYPOGR.

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
CAMBRIDGE
The
University
of
Cambridge
Library
The
University
of
Cambridge
Library



16. Dices, *in quibus deprehenduntur actiones, rationi maxime congruae, in iis ratio inest.* Atqui in brutis deprehenduntur tales actiones: qualis est formicarum, apum & aliarum bestiarum, quæ in commune bonum conquirunt cibum, ut habeant, unde hiemate cœlō vivāt: qualis est apum, quæ alvearia & alia artificiosè concinnant: item araneorum, quæ telas sibi accommodatas nectūt, perinde, ac præcipere posset ratio, & quæ alia. Adeoq; in brutis inest ratio, atq; adeo nō erit hominis propria. Resp. Negamus consequētiam Majoris: nam opera naturæ sunt opera intelligentiæ, hinc cum ratione non possunt disconvenire; quis verò dicet, Erg. cuncta agentia naturalia sunt intellectu vel ratione prædita: causa enim non est, quòd rationi congruenter agant, ratio, quæ ipsis inest, sed quòd ordinentur ab intellectu separatō, perinde ut sagittæ à sagittariō ad metam, quæ intenditur. Quanta sit in arboribus cum ratione convenientia, non facile dixerim: si quidem radices, telluri inhaerentes, arbori alimentum, ex terrā attractum, transmittunt, quod coquitur, & per totum arboris corpus diffunditur, servatā omnium partium proportione: folia & flores aptè quoq; extruduntur, nemo tamen erit, qui dicat, arboribus rationem inesse. Sic, licet bestiarum actiones rationi conformes sint, non tamen statim ratione præditæ sunt. Deinde actiones, quæ à bestiis proficiscuntur, sunt duplicis generis: quædam illarum sunt naturā ipsis insitæ, quales sunt, quæ semper eodem ab ipsis fiunt modō. Ejusmodi actiones maxime consistunt in applicatione quorundam mediorum, quibus ad finem, à naturā intentum, commodè veniunt. Finis ille bestiarum, à naturā intentus, est delectatio corporea, pertinens vel ad individui conservationem, vel ad speciei propagationem, quemadmodum & Augustinus docet: *Appetere voluptates corporis & vitare molestias, ferine vitæ omnis*

actio est. lib. 1. de libero arbitrio c. 8. Et lib. 3. de Trinitate c. 3. *Jumenta, ait, movent membra sub sarcinis naturali appetitu sua voluptatis & devitatione molestia.* Ut hunc bestia obtineant finem, natura easdem media quaedam docuit per insitum quendam naturalem instinctum, quo impelluntur & incitantur ad quasdam actiones. Hunc verò naturalem instinctum moderatur natura illa intelligens, eòq; bestiarum actionem unam dirigit ad alteram, usq; dum perveniatnr ad eam actionem, quæ seu finis præstituta est. Ille verò naturalis instinctus consistit in sensu jucunditatis, quo excitatæ agunt sine relatione ad aliquid ulterius: non consistit in facultate quâdam ratiocinativâ, quâ aliud ab alio distinguunt, ut cognoscant, cur hoc vel illud agant. Utur bruta cognoscant bonum sensibile, ad quod suus quælibet impellit appetitus, sed nesciunt, cur hanc vel illam exerceant actionem, an sit medium ad obtinendum aliud, nempe finem. Actiones brutorum natura illa intelligens, ipsis nesciis, dirigit ad illam actionem, quæ ut finis præstituta, perinde, ut homo, oculis captus, qui ab alio ducitur, ponit quidem ibi pedem, ubi ponere illum à ducente jubetur, atq; terminum etiam obtinet, quem intendit, interim ipse nescit, quò vadat. *In quibusdam animalibus, inquit Origines lib. 3. de dæmonibus cap. 1. inest talis phantasia, quæ ea naturali quodam instinctu provocat & concitat ad ordinatos & compositos motus: sicut videmus araneas facere, quæ Phantasiâ ad opus texendi ornatisimè concitantur, sinè dubio naturali quodam motu, intentionem hujusmodi operis provocante: nec tamen ultra alium sensum aliquem, quàm texendi, naturale studium habere ipsum animal invenitur: Sicut & apes fingendi favos, mella, avaritiâ congregandi. Rationale verò animal quum habeat in se hos naturales motus, habet tamen amplius ceteris animalibus, etiam rationis vim, quâ judicare & discernere has imagines*

33

nes possit, & alias reprobare & rejicere, alias verò probare & susci-
pere, cujus rationis judicio dirigi & gubernari hominis motus ad
vitam probabilem possint. Bruta, naturali instinctu excitata, non
rationis moderamine, agere, hinc maximè enotescere potest.
Ratio est in usurpandis mediis liberalior, diversos modos &
diversa media obtinendo fini accommodata, subministrat. *Acies*
enim ingenij, inquit Plato alicubi, *instar oculi tornabilis est, qui se*
possit, quòcumq; velit, convertere. Idq; inductione inclarescit,
modò pro fine obtinendo suggerit artem militarem, ut is, qui
ratione præditus est, eò animum appellat, modò agriculturam,
nunc medicinam, nunc Theologiam & sic deinceps. Imò in-
terdum utrumq; & eò amplius suppeditat, ut is, qui sit medicus
simul sit Theologus, aut aliud præterea. Imò, qui ratione in-
structi sunt, non eodem modò artem seu facultatem aliquam
exercent, quomodo qui facultate ædificandi instructi sunt, do-
mos diversimodè architectantur, quidam domos exstruunt fa-
stigiatas, quidam planas & æquatas: aliquæ exstruuntur ex lignis
tantùm, quædam ex lignis & lateribus, rursus ex cæmentis
quædam, quædam ex mutulis. Aliæ hanc, aliæ illam referunt
formam non solùm foris, sed & intus: aliæ enim habent parie-
res sublimè erectos, humiles aliæ, aliæ habent foris fenestrarum
& portarum jugamenta (*Schauer*/voce eâ, in hac significatione
uti videtur Cato de re rusticâ,) subgrundia, aperturas, fastigiorũ
acroteria: intus habent atria, peristylia, conclavia, thalamos &c.
in hanc rem conferri etiam potest Barnabas Briffonius lib. i.
selectarum ex Jure civili antiquitatum cap. i. de modò & altitu-
dine antiquorum ædificiorum parietumq; crassitudine. p. m. r.
&c. Idem censendum de aliis facultatibus & artibus. Nihil verò
horum de instinctu naturali, is unum eundemq; servat mo-
dum, eademq; media in fine consequendo. Cum igitur omnes
bestiæ

bestię ejusdem speciei eodem modò, iisdem mediis ad finem
 tendant suum: evidens est, easdem ex naturali instinctu, non
 ex rationis dictamine, agere. Id verò certum esse de bestiis, quòd
 eodem modò & iisdem mediis, quasi ex lege utantur, declarat
 Fromondus per inductionem lib. 3. de animâ cap. 1. artic. 2. *Uni-*
verse, inquit, *unius speciei hirundines ad generationem & educa-*
tionem pullorum nidos ex lutò, eadem formâ, construunt, atq; ex te-
ctis aut fenestris domorum, (quæ scilicet supercilia seu jugamen-
 ta habent) *in propatulò suspendunt. Omnes passeris lateres præse-*
runt, & in abditò tectorum, aut cavis arborum plumas tantùm &
stramenta in nidos concinnant. Omnes philomelæ muscò arborum
& setis animalium, circumjectis arborum foliis, in ipsâ superficie
terræ inter dumos nidulantur. Omnes linariæ lanam etiam in ma-
teriam rapiunt, sed in ruborum aut dumorum opacitate nidos ab-
scondunt. Omnes verò galgalii eos instar corbium è ramò arboris
suspendunt. Omnes turdi & merulæ fundo oblimato muscum cir-
cumædificant. Omnes picæ spinis circumsepunt. Unde autem tanta
paritas & uniformitas? sine dubiò, quia rationem finis & medi non
cognoscunt & c. Non solùm in nidis exstruendis cum avibus res
 ita comparata est, sed & in aliis aliorum animalium actionibus.
 In quâ re verba Frãncisci Vallesii ex lib. de sacr. Philosophiâ c. 55.
 facimus nostra, qui scit enim, inquit, *canis leporem querere, &*
perdici insidiari, sed nescit lectum sternere, aut specum fodere; lepus
contra lectum sternere, & cuniculus non sine magnâ arte domum
sibi facere subterraneam: neuter verò scit, ex venatione vivere,
neq; sanè hoc canis, aut illud lepus doceri, ullâ ratione potest. Ex his
 itaq; obvium est, quòd bruta non ratione, sed appetitu naturali,
 qui à ratione maximò differentię intervallò distat, agent. Si-
 militer arguit Galenus, qui in Ex: ad artium liberalium studia,
 ita disserit: *Perspicuum sanè est, hominem hac parte longè ceteris*
 ani-

animalibus antecellere, vel ex illo, quod cernimus, quanta sit artium multitudo, quas hoc animal tendat addiscere: vel ex hoc, quod solus homo scientia capax, quamcumque velit artem, percipit. Siquidem animantia reliqua ferè omnia sunt artium expertia, si pauca quaedam hinc excipias. Quin his etiam ipsis naturam magis, quam institutione contigerunt artes. Ceterum nec illis est quicquam artium, quod homo non meditetur, in arte texendi imitatus est araneas, in arte fingendi, quam plasticen vocant, apes: nec imperitus est nandi, quum sit animal terrestre &c.

17. Diximus, actiones in brutis esse in duplici differentiâ, eas, quæ naturam insitæ sunt, excusimus, nunc actiones per disciplinam, seu, quæ usu & exercitatione acquisitæ sunt, excutemus. Tales per disciplinam actiones in primis objiciunt, qui brutis rationem adjudicant, sicq; argumentari solent: Quibuscumque convenit, per disciplinam acquisitas actiones exercere, iis convenit quoque ratio: nam doctrina & disciplina in ratione consistunt. Brutis convenit, per disciplinam acquisitas actiones exercere: quippe quaedam didicere saltare, ut canes, ursi, equi, elephantes, &c. Memorabile est, quod de elephantis Seneca & Mutianus, citante Petro Crinito lib. 5. de honest. disciplinâ, c. 13., referunt, quod per funes inceserint, ductusque Græcarum literarum didicerint. Quaedam ad numeros melos canere didicerunt, ut aves quaedam &c. Ergo brutis convenit ratio. Resp. Vocabulum disciplinæ est ex iis, quæ multifariam dicuntur, id ex voce discere, quæ est illius conjugatum seu casus, patescit, ut quæ etiam æquivoca est: cuius verò casus seu conjugatum est ex iis, quæ multifariam dicuntur, id ipsum etiam est ex numero illorum, ut docet Phil. l. 1. Top. c. 15. (13.) Jam discere est ex iis, quæ multifariam dicuntur, propriè discit, qui causas alicujus rei ab aliquo percipit. Ut docere nihil aliud sit quam causas rei scitæ dare, lib. 1. Metaph. c. 2. Unde didascalica,

D

&

& Apodicticæ orationes pro iisdem sumuntur lib. i. Elench. c. 2. ita discere nihil aliud est, quàm causas rei accipere. Hinc scientia, quæ est *cognitio rei per causas* lib. i. post. c. 2. cum doctrinâ & disciplinâ idem esse, à Philosophò dicitur, scilicet quoad rem, & ratione tantùm differre, quemadmodum videre est apud Philoponum in l. i. post. c. i. aliàsq; passim. Jam si vox disciplinæ ita capiatur, negamus, bruta per disciplinam actiones sibi acquirere. Nam disciplina, dum idem est cum scientiâ, & *scientia est universalium*, lib. i. post. c. 4. tum utiq; erit universalium. Jam verò bruta non sunt capacia universalium, igitur nec disciplinæ, si sic accipiatur. Deinde vox discere latius sumitur, & notat, quomodocunq; institui, aut ad hoc vel illud advesfieri, & in tali acceptione concedimus, bruta posse doceri & discere; verùm in hòc sensu disciplina, seu advesfactio, non statim infert rationem. Enim verò & amentes ac pueri ad aliquid agendum vel faciendum advesfieri possunt, sive flagris, sive rei alicujus titulante jucunditate, quâ Phantasia ipsorum movetur, ut ipsi in rei alicujus exercitium rapiantur: nihilominùs tamen illis nullus rationis contingit usus, ut qui ipsos destituit. Non secus res se habet cum brutis, dum vel voluptatis aucupio, vel molestiæ fugâ, in has vel illas actiones exstimulantur, ut tandem advesfacta, ad hæc vel illa agenda sint paratiora; id quoq; non rationi adjudicandum esse, sed soli naturæ instinctui, quo ad captandam voluptatem, & refugiendam molestiam, impelluntur. Ut his major objiciatur lux, exemplum aliquod, ad sollicitandam hujus rei uberiolem intelligentiam, advocemus. v. gr. equus, dum quis ei, vas aliquod, quo avena, aut aliud pabulum continetur, præfert, & in gyrum ambulat, eundem sequitur in gyrum, voluptate pabuli ductus, ad quam naturali propendet instinctu, & cum aliquamdiu equus in gy-

rum

rum itaverit, ac equo in esum pabulum objicitur, tandem usu procedente, memoriâ hujus voluptatis sequitur judicium phantasiæ, quo in gyros eundum judicat, non propter utilitatem talis mediæ ad finem illum, sed quòd sibi imaginatus, voluptatem cum ambulatione in gyrum esse conjunctam. Unde de his accommodatè differit Aug., dum lib. 83. Quæst. 30. de brutis, ait, dici posse, quòd fruuntur re aliquâ, v. c. cibò, aut quâcunq; aliâ corporeâ voluptate; non verò, quòd aliquâ re utantur, sic enim ipse: *Frui quidem & quâlibet corporali voluptate nõ adeò absurdè existimentur & bestia; uti autem re aliquâ non possunt, nisi animal, quod rationis est particeps. Scire namq; quò quidq; referendum sit, non datur rationis expertibus; sed neq; ipsis rationalibus stultis. Nec uti quisquã potest eâ re, si, quæ quò referenda sit, nescit, nec quisquam potest scire, nisi sapiens.*

18. Quid, dices, existimandum de eo, quod bruta quædam tempestates præsentiant & præfagiant, dum pluvia futura est, solent quædam bruta editâ voce easdem prædicere, vel etiam pluviam orituram indicare quibusdam certis motibus. Quæ alia hujus rei causa esse potest, quàm ratio? atq; adeo brutis ratio non deneganda videtur. Resp. Negamus, quòd causa hujus sit ratio, seu ratiocinatio, quò ex effectu, aut alio signò causam conjectent; sed noscendum, quòd humor aliquis roridus ante pluviam in aerem inferiorem & corpora inferiora, destillet, cujus contactu quædam bruta ex affectu edunt voces, orituræ tempestatis præfagas, vel in motûs lascivos, & incompósitos exstimulantur. Quòd verò ex his præfagium futuræ tempestatis capiatur, id non præstant bruta, sed homines, qui observârunt, ad editas tales brutorum voces, seu tales motûs, evenire tempestatem. Quod ita esse, evidentiùs ostendent, quæ in medium producemus. Certum est, quòd ad erupturam tempesta-

rem, & venturam pluviam, multæ nubes, & varii vapores quasi in communionem coeant; jam procedente tali nubium ac vaporum coitione, humor non paucus deorsùm labitur. Quia verò iste humor tenuissimus est, non guttatim, quemadmodum pluvia cadit, sed per modum aeris densioris, vel roris continui, decidit. Humor autem tenuis cum sit penetrabilis, brutorum poros facilè immeat, qui, dum se poris ingerit, titillat, atq; sic bruta in perplexos motùs, ac confusos saltùs, atq; ad ingeminandã vocem exstimulat. Dices, nihil tamen horum in homine, qui etiam animal, fit. Resp. Esto, nam bruta habent corpora mutationibus & cœli vicibus magis obnoxia, inde faciliùs lapsum humoris prædicti perferunt, quàm homines. Deinde etiam, eò fit, quòd in brutis perturbationes ad externos motùs sint incitatiores, illæ enim sibi permissæ, nullò objectò impedimentò, in iis dominantur; at verò in homine, ne perturbationes ad externos erumpant motùs, ratio se interjicit, tanquàm murus intergerinus, nec suis desideriis perturbationes permittit. In quâ sententiã nos adhuc magis confirmat, quòd & πείθει quædam ante tempestatem in iis occurrant, quæ sensu careant. Veluti de trifoliò refert Plinius, quòd in horrescat contra tempestatem, & folia subrigat. Idem observamus quotidie in iis, quæ crebrò se nobis in vitâ objiciunt. Cum cœlum se ad pluviam componit, ligna in igne conjecta concrepare videbis, sal in salinò colliquescere, pulveres extra solitum excitari, parietes sudore fluere, ex igne cineribus tectò identidem resultare striduras, fores ad morem cicadæ stridere. Nihil tamẽ horum, cum careant omni sensu, dices præsentire venturam tempestatem, nisi fortè omnia hæc inter signa referres, ex quibus homines indicinam futuræ tempestatem petunt. Quod cum ita sit, nemo poterit statim inde inferre, quia bestia, oriturã tempestate,

quæ

quædam edant signa, ideò præsentiant ipsa tempestatem, quod non nisi, ratione duce, fieri dixeris.

19. Tandem qui brutis rationem tribuunt, hoc inducunt, dicentes, bruta utiq; rabie corripuntur, rabies verò est privatio rationis, cui verò rationis privativum convenit, eidem quoq; ratio: *nam habitus & illius privatio sunt ejusdem subjecti.* Resp. Utur rabies perinde esset, quod insania, quâ correpti homines, multa insolenter & præter rationem faciunt, nondum tamen evictum iudices, eandem esse morbum, quo ratio propriè & per se afficiatur, atq; adeò prosternatur. Insania seu delirium existit, cum perturbatio in phantasmatis oritur. Quo fine Galenus lib. 4. de decretis Hippocr. & Platon. ait: *insaniam oriri à vi irrationali in corpore.* Celsus quoq; *inter corporis adfectus insaniam nominat.* lib. 3. de re medicâ c. 18. Et Valerius aliquo locò docet: *homines non delirare secundum internos sensus, imaginem scilicet seu phantasmam.* Quòd autem, morbo eo infestante, ratio rectò suo usui prohibeatur, id fit ex accidenti, quippe ratio utitur sensibus internis, & in specie phantasmatis, ut quæ à sensibus internis formantur: cum jam perturbatio aliqua se in phantasmatis objicit, & ratio in operationibus suis turbetur oportet, quandoquidem ea ministeriò phantasmatum ad edendas suas operationes utitur. Hinc per accidens fit, ut, in phantasmatis, sæviante perturbatione, & homo rationis verò usu dejiciatur; atq; adeo insania seu rabies non est per se, sed per accidens privativa rationis. Quicquid verò est per accidens privativum rationis, id ubi existit, non necessariò supponit rationem: quomodo nec vera est consequentia, quicquid per accidens est rationale, id habet rationem, sic instrumentum, quod artifex pulsat, per accidens est rationale, dum sequitur artificis pulsantis rationem, quis verò est, qui dicat, instrumento inesse rationem, nihil horum! 20.

20. Quum jam pateat, facultatem animæ rationalis esse propriam hominis: noscendū porrò est, quòd rationale non sit unius generis, sed duplex, ut observat Philosophus lib. 1. Eth. c. 6. & 13. & lib. 1. m. m. c. 5. aliud est absolutè tale, & ex suà naturà, quod rationem in se habet, & consultandi munere defungitur: aliud est participatione rationale, quod rationem quidem in se non habet, potest tamen eam partem animæ, quæ rationem habet, audire, eiq; monenti obtemperare, & ad ejus præscriptū se componere. Priori modò, nempe secundum naturam suam est rationalis illa animæ pars, cujus habitus sunt ars & prudentia, quæ dicitur λόγος; posteriori modò rationalis est *λογιστική*, ut quæ est appetitus non habens rationem, sed sequens rationem, hinc vocatur *appetitus deliberativus* 1. 3. Eth. c. 5. & 1. 1. Rhet. c. 10. *appetitus boni cum ratione*. conferatur etiam Alexander Aphrodisæus lib. de fatò & libertate §. 33. p. m. 153. Similiter appetitus sensitivus, qui etiam obtemperando rationem participare potest. Indicio sunt reprehensiones, præcepta, monita, proposita aliorum exempla, quæ omnia eò adhibentur, quòd pars illa hominis, quæ à ratione devia est, cum se ad ejus indolem accommodare possit, rationi, honestum præscribenti, attemperet. Aliàs, nisi in illà parte hominis inesset facultas quædam obediendi rationi, quorsum illa omnia, tot abhinc seculis, facta essent, & adhuc dum fierent. In hanc rem Aristoteles conveniens proponit exemplum, dicit enim, sicut filius morigerus, qui totam vitam ad parentis voluntatem rejicit, ex parentis ratione dicitur rationalis, non quòd ratio parentis in filiò insit, neq; quòd filius præcepti parentis rationem reddere possit; sed ideo dicitur sic rationalis, quòd totius vitæ curriculum parentis facit arbitrii, & idem ad ejusdem, secundum rationem suam præcipientis, judicium revocat, nihil de ullà re

finè

finè parentis auctoritate statuens, aut agens: Ad eundem gustum sapere dicit Philosophus rationale in appetitu sensitivò, non quasi rationem ex se haberet, sed quòd illam animæ partem, quæ rationem ex se habet, audire possit, atq; ad ejus præscriptum operationes suas componere lib. 1. Eth. c. 13. Ubi sagacitatem naturæ mireris, sicut enim natura nunquàm ab extremo ad extremum procedit, sed id facit per medium, quod inter illa duo extrema interjacet: sic & hìc eidem usu venit, alia facultas animæ est, quæ ex naturâ suâ rationalis est, alia quæ omnino irrationalis est, qualis est vegetativa, hæc nec per essentiam est rationalis, quasi rationem in se habeat, neq; participatione, ut quæ rationem per suam naturam audire non potest: media inter facultates has est appetitiva, cujus mentionem injecimus, illa enim est rationalis & non est rationalis: est rationalis, si spectes participationem & communicationem rationis, non est rationalis, si consideres naturam & essentiam rationis. Facultas appetitiva sensitiva non est ipsa facultas sensitiva simpliciter, inter quas variæ se discriminis objiciunt notæ. Primò facultas appetitiva sequi potest rationem, & ad præscriptum ejus operationes suas accommodare, ita, ut, licet ad hunc vel illum inclinet actum, ab eodem per rationem revocari possit; sed nihil horum de sensu, qui non potest sequi rationem: positis enim omnibus ad sentiendum requisitis, non potest non actum sentiendi exercere, etiã si ratio sensum in contrarium rapere vellet. 2dò appetitus sensuum ad varias propensiones movetur, potest propendere in obsequium rationis præscripti, vel in obsequium ejus, quod rationi adversatur. Cum verò rectus appetitûs usus sit rationi obsequi, proinde ad vefactione coercendus est, ut obsequio rationis se promptè & constanter mancipet, quod tandem facit, quando crebrâ ad vefactione

ctione

42
ctione habitus comparatus est, sed rursus hæc dici nequeunt de
sensu, quippe qui habitu non indiget, ut munere suo ritè funga-
tur. Ita enim ab objecto suo dependet, ut idem sensum adficiat,
simulac ipsum præstò est, nisi se impedimentum ex transversò
objiciat, ut sensus vitio aliquo sit correptus, & si quæ alia sunt,
quæ ex accidenti evenire possunt. Deniq; alia ratio est objecti
sensûs, alia appetitûs ejusdem. Sensus interdum percipit obje-
ctum, ut simplicem rei sensibilis speciem, appetitus quidem
appetit etiam speciem rei sensibilis, sed semper sub ratione mor-
lesti & jucundi. Species autem rei sensibilis duplici ratione ap-
prehenditur à sensu, vel simpliciter, v. gr. si cognoscat, hoc esse
amarum, hoc esse nigrum, vel in relatione ad subjectum, num
ei conveniat, vel non conveniat. Verùm speciem rei sensibilis,
priori modò à sensu apprehensam, non sequitur appetitio, sed
eam, quæ posteriori modò apprehenditur à sensu. Jam licet
sensus hoc vel illud judicet subjecto esse conveniens,
potest tamen facultas appetendi illud non sequi, in primis verò
si ei, ad obsequium rationis advefactæ, aliud ratio præcepe-
rit. Verbi gratiâ, si quis feram aliquam jaculari vellet, & videret
fortè à longinquo aliquid, quod visus judicaret feram, cum
tamen homo esset: quod visûs judicium, nisi ratio se interjice-
ret, sequens appetitus, se ad jaculandam eam componeret; sed
si se interponeret judicium rationis, evidenter probantis, illud
esse hominẽ, & quòd visus hâc in re fallatur, ob nimiam distan-
tiam loci, cessabit persequi & jaculari illud, quod visus ei præ-
sentabat tanquam feram, & appetitus aversionis ejus, ratio-
nis interveniente judiciò, in appetitu exstimulabitur. Hæc ipso
quoq; appetitum sensitivum in homine longè alium esse ab
appetitu in brutis, enotescit, ut quorum appetitus rationem se-
qui non potest, cum ipsa ratione sint destituta. Sapè quidem
usu

45

usu venit, ut bruta ab eo, in quod appetitu suo offeruntur, abster-
reantur, v. gr. ab hominibus, ut à persequendo eo desistant, ve-
rùm hoc non fit per imperium rationis, sed ex metu, qui, quan-
do gravior est, desiderium, quo flagrabant, compescit & extin-
guit. Appetitus contra, ratione regi potest in homine, ut effu-
giat ea, quæ honestati repugnant, ut ut fiant cum molestiæ sen-
su. Verbi gratiâ, si quis puellæ alicujus amore arderet, hanc au-
tem sororem suam esse cognosceret, continuo appetitus, quasi
veretur, iudicium rationis, sese contrahit, atq; libidinem, ut ut
ardentem, in se prosternit. Similiter, cum quis cibum maximâ
delectatione sumsit, intellectò verò, hunc cibum esse maximè
perniciosum, appetitum ita sæpè commoveri experimur, ut vel
nausea, vel etiam vomitus subsequatur. Quale quid in brutis
nunquam occurrit. Unde non omnia $\mu\lambda\theta\eta$, quæ hominis ap-
petitui insunt, bestiarum appetui inesse deprehenduntur, v. gr.
verecundia, & honoris desiderium.

21. Tam facultas animæ rationalis ex se, quàm participa-
tione rationalis, in consideratione Summi Boni Practici lo-
cum habet: hujus scilicet utriusq; bonum est S. B. Practicum.
Nondum enim ille homo perfectus est, qui rectè quidem deli-
berare potest, & rationem in consilium adhibere, sed tamen
ipse secus agi, tac deliberavit; sed is demum in vitâ perfectus lau-
dari meretur, qui & rectè deliberat, & secundum deliberatio-
nem agit. Cum igitur beatitudo Practica nihil aliud sit, quàm
perfectio hominis: evidens est, quòd illa sit operatio secundum
prædictam illam utramq; facultatem animæ rationalem.
Animæ facultatis ex naturâ suâ rationalis operatio est S. B. Hu-
manum, ut principii præscribentis & præfinientis: hinc etiam
in definitione virtutis moralis adjicitur, quòd sit ea habitus
præfiniente ratione. lib. 2. Eth. c. 6. & lib. 6. Eth. c. 1. facultatis ani-
mæ

mæ, rationalis participatione, operatio est S. B. Humanum, ut principii recipientis præscriptum rationis ex naturâ. Ex quibus simul & semel patescit, quòd sententia Scoti vindice digna sit, quæ tenet: *voluntatem, non appetitum sensitivum esse Summi Boni Practici principium recipiens*; quanquam non facilè dixerim, an etiam Scotus voluntatem rectè intellexerit, videtur enim ei voluntas esse idem, quod proæresis, quæ tamen maximò differentia intervallò ad invicem distans.

22. Non verò Summum Bonum Humanum est qualiscunq; operatio, sed recta. Non sufficit ad perfectionem hominis qualiscunq; rationis usus, cum experientia locuples testis sit, à plerisq; hominibus rationis usum, in fraudem & malitiam posse converti, sic fures utuntur etiam ratione ad furtum committendum, pariter homicida & alii malefici. Quare Cicero ait: *Etiam venefici & sicarij utuntur rationis ministerio, nec non falsi testes, & testamentorum subjectores, adulteri item & impudici, aliq; verum ad flagitia & facinora.* l. 3. de naturâ Deorum. Quemadmodum & bonis & malis cytharædis & Organoëdis commune quidem est canere, sed hoc interest, quod boni bene, mali malè canant; ita & boni & mali viri hoc quidem habent commune, ut ratione utantur, sed hoc interest, quòd illi bene, hi malè ratione utantur. Quum operatio rationis, quæ Summum Bonum Humanum esse dicitur, perficere debeat hominem; nullum est dubium, quin rationis operatio seu usus rectus sit quærendus, qui unice perficere subjectum potest, vitiosus enim destruit, non perficit, ut omne vitiosum hoc facere videmus. Qui etiam solus accuratè rationis usus dici meretur, alter verò abusus potius, quàm usus dicendus venit. Quemadmodum verò usus rectus fieri debeat, ut re uti, non abuti dicamur, porrò dispiciendum est. Usus rectus in eo consistit, ut
re

re utamur secundum ejusdem propriam virtutem: virtus syllogismi est ejusdem evidentia, quando jam utimur Syllogismo, ad rem evidenter probandam, tum rectè eodem utimur: virtus cytharæ est, animos audientium recreare, quando jam ad ejusdem delectationis voluptatem cytharâ uti possumus, tum eadem rectè utimur: qui cibum utitur secundum ejusdem propriam virtutem nempe in commodum corporis alimentum, is cibò rectè utitur, secus eodem abutitur. Nec mirum, nam cujusq; propria virtus id, cujus esse virtus dicitur, perficit, illiusq; opus bonum reddit: quippe virtus in genere nihil aliud est, quàm perfectio & bonitas ad opus aliquod, naturæ illius conforme. Unde Aristoteles de virtute in genere dicit, esse id, quo aliquid bene adfectum redditur lib. 2. Eth. c. 5. §. 2. & lib. 7. Physic. c. 3. contextu 18. conferatur & lib. 1. Eth. c. 7. item lib. 5. Metaph. c. 14. Quod idem adfirmat Metopius Pythagoræus apud Stobæum in fragmentis Pythagoreorum sermone 1, dicens: *Quævis res perfecta & absoluta fit per suam virtutis naturam. Equi enim (profert exempla) virtus est, qui ad summum ducit equi naturam. Et in partibus singulis eadem est ratio. Oculorum quippe virtus est acumen visûs, hoc verò summum est naturæ oculorum. Aurium porrò virtus est acris auditus, qui & ipse summum est aurium nature. Pedum autem virtus est velocitas, quæ & ipsa est summa perfectio pedum. Cui consentit Hippodamus Thurius, qui librò de certitudine ita disserit: Virtus uniuscujusq; nature excellentia & perfectio est. Oculi quidem virtus, ejusdem partis nature præstantia est, ac perfectio: hominis autè humane nature excellentia est & perfectio. Similia sunt, quæ alter quidam Pythagoræus in fragmentis Pythagoreorum habet, dicendo: Cujuslibet rei virtus, excellentia & perfectio est suæ cujus nature, veluti oculorum virtus præstantia & perfectio est naturæ oculorum. Aurium*

virtus, naturam aurium perficit. Sic ergo etiam hominis virtus, humane nature prestantia perfectior est. Item Alexander Aphrodisæus lib. de fatô & libertate § 26. p. m. 125. dicit: virtus propria cuiusq; nature perfectio est apex est. Nec eadē dicuntur in vitô Platone, qui his gemina habet lib. 1. de Republicâ & alibi. Quæ ab his accepit quoq; Galenus, & sua fecit librô de Sophismatibus, ubi τὸ εὖ & δεξιὴν in unaquâq; re conjungit, quòd & ipse non minùs ac superiores illi perfectionem cuiusq; rei virtutem ejus esse putavit.

23: *Beatitudo igitur civilis erit operatio animæ rationalis secundum virtutem utriusq; istius facultatis, quæ rationalis dicitur, propriam. Ultramq; oportet suis excultam esse virtutibus, ut pars animæ, ex se rationalis, rectè præfiniat, ac præscribat; hæc verò, nempe ex participatione rationalis, præscribenti rectè obtemperet: quod si harum alterutra malè disposita sit, alteram quoq; rabe suâ, quasi contagione, propter cognationem, quam partes illæ inter se habent mutuam, adficit. Ex pluribus homo continetur partibus, iisq; ex parte maximè dissitis: maximè dissitæ partes sunt corpus & mens: corpus est ex se & ex naturâ materiale; mens verò ex naturâ suâ materiæ expers, atq; actus purus. Ut ut istæ binæ partes tantò distent intervallò, tamen certâ ratione inter se illas copulari, nullum est dubium. Non quidem immediatè copulantur, interim tamen mediatè, mediantibus scilicet aliis quibusdam, quæ mediæ sunt naturæ. Quæ verò sunt istæ mediæ naturæ, quibus mediantibus mens & corpus ad invicem continentur? Sunt imò facultas sensitiva & facultas vegetabilis. Ratio menti annexa est, rationi facultas sensitiva, huic facultas vegetabilis. Ex hac mutuâ animæ cum corpore connexionem redit, ut conditio seu dispositio unius partis adficiat alteram, ut, si una ex illis non sit rectè adfecta, vitiosa*
ex

ex unâ in alteram redundet dispositio. Hinc fit, ut pro variâ animæ adfectione sæpè in corpore calor aut frigus oritur, interdum morbus vel sanitas, quin, quod experientia testatur, mors constat enim, quòd non pauci nimio dolore & nimia lætitiâ perierint. E contrariò anima pro variis corporis qualitatibus varia evenit, quòd Galenus ostendit in illo librò, cujus inscriptio est, quòd animi mores temperamentum corporis sequuntur. Porro ex vehementiori mentis agitatione seu contemplatione sensûs & anima vegetativa in faciendis suis muneribus non parùm impediuntur. Pariter ex vehementiori sensûs concitatione & ratio adficitur. In primis hoc inter rationales in homine partes est mutuum, ut vitiosa unius dispositio adficiat alterum. Cum enim ratio depravata, ad servitium sensuum, qui in voluptatis aucupio detinètur, laborat, & appetitus in societatem ejusdem corruptionis blandâ quasi vi traducitur, qui aliàs à ratione ad verecundiam, honoris desiderium &c. informari debuisset; & contra quum appetitus ardentissimò voluptatum desiderio inflammatus, earundem continuo mulcetur exercitio, facile & ratio, inter hæc voluptatum studia, corrumpitur, & in vitiorum vada defertur. Nec secus res habet, quum appetitus benè constitutus, ad honestatis gustum sapiat, tum ratio tantò magis in muneris sui decentiam extimulatur. Bene igitur Aristoteles imperium, quod ratio habet in appetitum, vocat civile. lib. 1. Pol. c. 5. nam, quemadmodum civis magistratui imperanti adversari potest, ita & appetitus rationi. Igitur suâ & ratio & appetitus sensitivus instructus esse debet virtute. Deinde ut compositum sit perfectum, necesse est, ut, quod materiæ vicem habet, ei se subjiciat, quod formæ instar habet; v. gr. tum pulchritudo in corpore perfecta est, quando forma vincit materiam: nam ipsa materia ob anne-

xam privationem deformis est, & quando forma superatur ab eâ, tum materia eluctata est ad deformitatē, quæ eidem ob annexam privationem inest. Idem censendum de prædictis partibus animæ. Anima rationalis ex se vicem formæ obtinet, anima verò participatione rationalis materiæ rationem habet, hinc si homo, qui ex iis componitur, rectè comparatus esse debet ac perfectus, necesse est, ut illa pars animæ, quæ ex se rationem habet, præcipiat; illa verò, quæ ex se non habet, obtemperet. Quo utrinq; observatō, consurgit admirabilis quædam in homine perfectio.

24. Cum verò virtus plus, minus, recipiat, & virtus optima & perfectissima subjectum undiquaq; perfectum reddat: non obscurum est, optimam & perfectissimam esse oportere utriusq; Partis rationalis virtutem, in cuius operatione poni debet ipsum Summum Bonum Humanum. Unde meritò in definitione Summi Boni humani ponendum, quòd sit operatio animæ rationalis secundum virtutem perfectam ac optimam. Perfectum autem non est unius generis, prout docet Philosophus lib. 5. (aliàs 4.) Metaph. c. 16. Perfectum est vel ratione partium, cui nulla deest pars, ad se requisita: quæ acceptio hujus vocis etiam occurrit lib. 2. de cœlō text. 23. Tali modò perfectum perinde est, ac totum, quale quid est corpus humanum nullis sui partibus mancum ac mutilum; item annus, mensis, & alia tota, conferatur lib. 5. Metaph. c. 26. Altero modò dicitur perfectum respectu graduum, quod in certò genere operandi nullum se habet superius. Quomodo perfectum quid est musicus perfectus &c. Aliàs ita quoq; perfectum respectu graduum definiri potest, quod nihil contrarii admistum habet, v. gr. perfectè calidum dicitur id, quod frigiditatis nihil habet commixtum. Applicemus hæc ad propositum. Dicimus igitur,

tur, quòd utroq; modò virtus utriusq; illius partis animæ esse debeat perfecta : debet esse perfecta ratione partium, & secundum hanc perfectionem intelligitur universa seu tota virtus, quæ nihil aliud est, quàm collectio omnium virtutum, quod observat Aspasius comment. in lib. 5. Eth. c. 1. Nulla res est perfecta, quin omnes ad se requisitas habeat partes, v. gr. non est perfecta sanitas, si aliqua saltem corporis pars ægrotat, utut ceteræ omnes partes integræ essent, sic nec ulla esse potest perfecta virtus, cui aliqua ex particularibus deest virtutibus, v. gr. cui deest fortitudo, vel temperantia, vel alia ejus generis. Summum Bonum humanum sit perfectum quoad partes, aliàs enim daretur eo melius bonum, atq; adeo simul esset Summum Bonum, & non esset Summum Bonum, quod contradictorium est. Unde Aristoteles de beatitudine civili differens, virtutem perfectam & totam pro iisdem accipit lib. 2. Eudem. c. 1. *Et vita pariter, inquit, & virtus alia perfecta, alia imperfecta: alia enim integra est & tota, alia verò particula tantum.* Quibus subjicit: *Felicitas autem est vita perfecta & secundum virtutē perfectā operatio.*

25. Porrò dispiciendum venit, quod virtus, secundum quam Summum Bonum Humanum operatio dicitur esse, debeat esse perfecta secundum gradum, seu, quod idem, quòd debeat omnes perfectionis gradus continere. Ex superioribus obvium erit, quid virtus secundum gradum perfecta sit, nempe virtus quoad optimum ejus usum. Ad optimum virtutis usum requiritur, ut virtus in imperiò Reipublicæ se exercent: nam sic juvandis multorum, vel etiam omnium illorum, qui in Republicâ aliqua versantur, commodis suas destinant actiones; at in hōc usu maximam excellentiæ partem sibi vendicat virtus: *Aliis multis prodesse, excellentia virtutis est, quæ virtutem faciat maximam.* lib. 8. Rhetor. c. 9. Major virtus est, pluribus prodesse, quàm paucioribus.

Quoad hunc virtutis usum virtus nihil aliud est, quam justitia
 universalis: hujus enim est, in publicâ Reip: administran-
 da versari luce, & communi se obligare cōmodo, quod patescere
 potest ex lib. 5. Eth. c. 3. Neq; hoc solum ad tuendum virtutis
 optimum usum sufficit: quippe fieri potest, ut secundum hanc
 virtutem in publicam operaturus utilitatem, ea operetur &
 decernat, ex quibus seditiones excitentur, bella, & quæ alia,
 quæ præsentissimam Reipublicæ intentarent perniciem. Non,
 inquam, præstat virtus universalis optimum usum, nisi con-
 juncta sit cum prudentiâ, quæ quibusvis se attemperat geren-
 dis rebus, & bene prospicit, ne ex transverso se gravius objice-
 ret incommodum. v. gr. Si quis, plebis potentioris exultante
 factione, vellet in pœnam hujus factionis multa tributa de-
 cernere, à plebe exigenda, eò, quò desultoriam plebis factiosæ
 compesceret licentiam, & publicam Imperantium adsereret
 auctoritatem, cujus ad provehendam Reipublicæ utilitatem
 maximè interest: ille quidem virtutis suæ usum convertere stu-
 deret in salutem communem; verùm eadem excideret, & inter
 seditionis studia, laborantes animi, ad publicas potius belli in-
 testini faces exardescerent. Unde tam meritò, Aristoteles *virtu-
 tem sine prudentiâ armatam in justitiam vocavit.* lib. 1. Pol. c. 2.,
 quàm immeritò quis apicem præstantiæ in virtute solâ, ad Rei-
 publicæ usum applicatâ, collocaret. Non obtinet illa fortitudo
 optimum sui usum, quæ improvidâ ratione labores ac pericula
 sustinet, sed illa, quæ hoc facit providâ, & usu rerum excultâ,
 ratione. Quibus accommodatè dicit Aspasius comment. in lib.
 5. Eth. c. 1. *fortitudo, quæ rectâ ratione duce, labores ac pericula su-
 stinet, perfecta est, comparata scilicet cum fortitudine, quæ impetu
 quodam adversa propulsat, & sola propriè fortitudo est appellitan-
 da.* Ex quibus enotescit, ad beatitudinem civilem, secundum
 gradum

51

gradum perfectam, virtutem requiri, & quidem eo, quo nos eandem explicavimus, modò. Cum verò optimum in aliquo genere id est, quod perfectum quoad gradum, nempe, quo nihil excellentius in illo reperitur, locò vocis *perfectum* cum Aristotele posuimus in de finitione, id optimum.

26. Cum beatitudo civilis talem exposcat virtutem, quæ se exerat imperando ad Rempublicam, & sit summâ cum prudentiâ conjuncta: liquidò constat, talem virtutem non posse in quavis vitâ exerceri: non enim quavis vita est talis virtutis capax, sed illa, quæ perfecta est. Vita habet suas dimensiones certas secundum ætatum distinctiones, atq; adeo vita perfecta imò nihil aliud est, quàm ætas perfecta. Ætates tribuit Galenus in 4tuor partes, aut quicumq; auctor est definitionum medicarum, nempe *in pueritiam, pubertatem, mediam ætatem, & senectutem. Et pueritiam dicit calidam ac humidam: pubertatem quoq; calidam ac humidam, attamen minus: mediam porrò ætatem calidam ac siccam: senectutem frigidam ac siccam.* Huic distributioni similis est illa, quæ apud Hippocratem lib. 1. Aphorism. 13. & lib. de ratione virtutis reperitur, quâ dividit vitam hominis in 4tuor ætates, *pueritiam*, quæ se extendit usq; ad decimum quartum ætatis annum: *adolescenciam, consistentiam, & senectutem.* Jam ex his perfecta est illa ætas, quam consistentiam Hippocrates, Auctor verò definitionum medicarum mediam ætatem vocat. Tum enim homo ad summam vigoris pervenit, qui postea sensim sine sensu decrescit, cum ætas in senium declinet. Unde vita perfecta, in primâ significatione, est, quod ætas consistens & media, qualis illa est ipsa virilis. Cum ætas multifariam incidat, non potest certorum annorum curriculo includi, atq; circumscribi, quanquàm alii principium ejus ad annum vicesimum octavum, aut ad trigisimum, alii demum ad tricesimum quintum, aut sextum referunt. Maturius accidit

F

non-

92
nonnullis constitutio, quæ aliàs in virilem solet cadere æta-
tem. Cujus exemplum habemus in Demophilò, de quo Pin-
darus Ode 4ta. *Inter pueros, inquit, erat juvenis, in consiliis verò
senex.* Similiter Hermogenes, quem inter pueros senem fuisse
dictum, testatur Suidas & alii, videlicet ob singularem erudi-
tionem, quam jam juvenis obtinuit. Perfecta porrò vita dici-
tur, quæ justò tempore durat, & contrà imperfecta, quæ justò ci-
tiùs desinit. Tempus enim longius perfectius est breviori,
quippe longinquitas æternitatē imitatur, ut quæ perfectissima
est, & conveniens æternitati. Justum autem tempus, in quo per-
fecta vita consistit, est omne vitæ humanæ tempus. Vivere enim
nihil aliud est, quàm agere, docente Philosophò lib. 9. Metaphi-
e. 8. Jam hoc est proprium viri civiliter beati, ut omni vitæ
tempore secundum virtutem agat. *Vir bonus & in paupertate,
& in ceteris rebus adversis, decorum observat.* lib. 7. Pol. c. 13. Si-
militer & ea vita perfecta dici potest, quæ à *καρμῆς* est, seu bonis
corporis & externis satis instructa. Ubi per externa bona in-
telligimus ea, quæ neq; animæ sunt, neq; corporis, sed alia
præter hæc, qualia sunt amici, propinqui, divitiæ, & alia ejus
generis. Quæ Græcis dicuntur forensia, eò, quod illa foris sunt à
nostrâ animæ & corporis substantiâ aliena, ut docet Eustratius
comment. in lib. Eth. 1. c. 8. Illa bona sunt partes vitæ,
absq; quibus commodam agere vitam, haud possumus: quod
testatur quoq; Euryphanus lib. *Ἠθ. β'.* *Vitæ partes sunt cor-
poris bona, atq; opes, gloria, amici.* Jam id diximus paulò antè
perfectum, quod omnibus suis, ad se requisitis, constat parti-
bus. In quibus omnibus significationibus vita perfecta requi-
ritur ad operationem animæ rationalis secundum virtutem
perfectam ac optimam, quod jam ex superioribus intelligi po-
tuit, imò Non quævis ætas ad actionem secundum virtutem est
accom-

accommodata, sed consistens & firma ætas, quæ dicitur virilis, quippe ea liberior est à corporis impedimentis ob humores vitiosos jam depastos, atq; adeo animi exercitationi magis idonea. Hoc Aristotelē movit, ut lib. 8. Pol. doceat, circa annum demum trigesimum quintum ducendam esse suæ Reipublicæ civibus uxorem, & accedendum ad Reipublicæ gubernacula, quòd scilicet tum rebus agendis sint apti: Adolescentia quòd sit ætas ob humorum abundantiam perturbationibus nimis subjecta, nondum est apta ad res gerendas. Propterea Aristoteles negat, quòd Adolescentes sint domestici & apti auditores hujus disciplinæ lib. 1. Eth. c. 1. Non quòd prorsus hæc disciplinæ non sit imbuendi, sed quòd perfectè ea nondum percipere, atq; de illis plenè judicare possint. Quod si verò pueri ne quidem sunt idonei auditores disciplinæ moralis, multò minùs capaces erunt actionis secundum virtutem perfectam, cujus rationem illa declarat. Eò pertinet, quòd in virili ætate demum ratio præcipuè se exserere incipiat. Unde aperte fert Aristoteles, lib. 1. Eth. c. 10, pueros propter statum nondum dici posse beatos, nisi propter spem, quam de iis conceperunt homines. Deinde non is dicitur beatus, qui diem unum atq; alterum, aut unum mensem, annum, atq; alterum ex virtute vivit. Non enim felicitas civilis est ex iis, quæ tota simul sunt, sed quæ quadam successione partium constant, qualia sunt ludi, dies, annus. Quod his verbis declarat Eustratius ad lib. 1. Eth. c. 7. *Res nonnullæ sunt, quæ in eo essentiam suam habent, quòd fiunt, ut theatrales ludi, dies, mensis, annus: horum enim totum non absolutum atq; integrum subsistit, sed particulatim prætereuntibus diebus efficitur.* Jam talis naturæ est etiam actio, quod rursus ibidem innuit Eustratius: *Una ejus pars jam effecta cum præterit, alia post illam, & post hanc item alia deinceps succedit, atq; ita nunquam tota integra subsistit,*

54
sed paulatim perficitur: unde & de eâ propriè dici non potest, esse, sed effici ac fieri. Multò magis autem hoc de beatitudine civili dicendum, ut quæ non est una aliqua actio, virtuti consentanea; sed continuatio quædam ejusmodi actionum, nullâ contrariâ actione interrupta. Felicitas civilis absolutissimum bonum est, *Nulla autem res, inquit Seneca lib. 6. Natural. Quæstion. q. 5. consummata est, cum incipit.* Et Plinius lib. 8. Epist. 4. ait; *Non possunt perinde inchoata placere, ut effecta.* Una hirundo, ait Philosophus lib. 1. Eth. c. 7. *non facit ver; nec unus dies; sed ut adjecit Eustratius, opus est, ut multe hirundines advolent; si ex ipsis veris temperiem agnoscere velimus, quæ toti generi hujus animalis, quod per hiemis frigiditatem atq; intemperiem in abdito pene mortuum jacebat, reviviscentiam adfert, & totum insuper tempus illud requiritur, quod spatium hujus anni partis accommodatum est.* Ita quoq; ad peragrandam beatitudinis civilis directam non unus aut alter dies sufficit, sed requiritur etiam debitum tempus. *Non in aliqua parte, sed in perpetuitate temporis vita beata dari solet.* Nec appellatur omninò vita beata, nisi confecta atq; absoluta, prout testatur Cicero lib. 2. de finibus bon. & mal. Debitum tempus, quod paulò antè generalius determinavimus, jam exquisitiùs explicandum ducimus; Scilicet debitum illud tempus est omne illud vitæ tempus, quod natura instruendæ rationi destinavit. Videtur autem natura totum tempus mediæ ætatis, quod usq; in extremum declinet senium, instruendæ rationi adjudicare; nam illud ad actiones exercendas maximè docile est ac alacre, ut quod est præditum adfectibus, in actiones incitatoribus; ætas contra in senium devexa sedatis adfectuum est motibus, quæ fortius ad contemplandum se componit, quàm ad agendum, cum nullis exstimuletur adfectibus. Quæ comprobare videtur, Græcus ille versus: ἔργα νέων, βελά τε μέδων, εὐχά, τε γερόντων.

γερώντων. Facta juvenum debent esse, consilia mediæ ætatis hominum, senes verò fas est preces & vota concipere. Unde quoq; Aristoteles lib. 7. Pol. c. 19. sacra in civitatibus vult peragi à senioribus, qui virtutibus moralibus strenuam ante navarunt operam, sopitisq; adfectuum motibus, à cupiditatis & libidinis servitiò sunt liberi ac soluti. Tales enim aptos esse, docet, qui occupentur circa cultum intellectus, qui est contemplatio Dei, in quâ præcipuum sacerdotis munus positum erat. Nam tum virtus intellectus vigere ac florescere incipit, cum corpus defloruit, ut Plutarchus observat in Conviviò. Quod idem explicatiùs intelligere habemus ex lib. r. m. m. c. 4. ubi Aristoteles ait: Cum felicitas bonum sit perfectum & finis, non latere nobis debet, quòd in ætate sit perfectà. Non enim in puerò, sed in virò, is enim perfectus. Et ne in tẽpore quidẽ imperfectò sed perfectò. Perfectũ enim tempus utiq; fuerit vitæ humanæ, (vita humana ea intelligitur, quã ex ratione vivimus) spatium. Rectè namq; vulgò dicitur, felicem in longissimæ vitæ tempore esse judicandum: quòd nimirum oporteat perfectionem hanc tam in tempore perfectò quàm in homine considerari. Ultimò & bona corporis atq; externa requiruntur ad beatitudinem practicam: nam maximè conducunt ad virtutum officia præstanda. Quantum ad corporis bona attinet, quis enim in corpore causariò & ægrotò, cujus habitus adficit habitum mentis, potest animum efferre ad aliquam præclaram cogitationem de iis, quæ ad actionem pertinent. Quis, nisi sensus habeat, morbò & dolore vacuos, munera publica, quæ in actionibus consistunt, commodè obire potest? Nisi suò debitò quis valeat robore, quomodo pro defendendâ patriâ pugnabit? Et formositas non parùm res agendas promovet, movet enim aliorum erga hominem amorem & benivolentiam, quæ etiam arguit bonum corporis temperamentum, & per

consequens naturalis ingenii bonitatem, nisi fortè ea aliunde depravetur, aut homo pravâ educatione & malò consortiò victus, ingenii bonitatem decoxerit. Qui benivolentiâ verò munitus est, excitatos hominum tumultus sedare potest, seditiones supprimere, dummodo homo virtutem, tanquam dextram Tegeæi vialis sequatur. Quò respexerunt antiquiores quidem populi, qui illos tantùm ad Regiæ dignitatis culmè subvehbāt, qui formæ insignioris essent. Unde illud, cum Priamus in Regem eligeretur, omnium illorum ore natabat: *Priami species digna Imperio*. Similiter requiruntur ad beatitudinē civilē bona externa, quæ dicuntur *divitiæ* l. p. m. m. c. 2. suntq; opes, nobilitas, honor, propinquorū & amicorū multitudo. Divitiæ enim instrumenta sunt, quibus ad virtutis exercitium utimur, ut liberalitatis & magnificentiæ. Nobilitas autē non lege tantùm, sed & naturā talis, quæ consistit in virtute, multum auctoritatis conciliat ei, qui nobilitatis talis patrimonio gaudet. Qui verò pollet auctoritate, is aliis impetrabilior est apud omnes in societate, ut adeo facilè, quod cupit, persuadere possit. Sed & bonorum liberorum copia non parum habet momenti ad beatitudinem adferendam. Omnibus enim à naturā indita quædam est immortalitatis cupiditas, in quâ utramq; facit paginam voluptas, cum homo habeat, in quibus etiam post mortem victurus sibi videatur. Nec nihil ad felicitatem conferunt amici ac propinqui, quia amoris ac sanguinis vinculo conjuncti, omnia pro salute alterius facere solent. Unde etiam Architas & Battus, teste Plutarchò in Politicis, patriæ suæ maximè fuere salutare, quòd à civibus suis plurimùm diligerentur. Quò factum, ut quoq; Pythagoræi, & bona corporea, & externa ad beatitudinis complementum necessaria esse, sanciverunt. Euryphanus lib. de vitâ, duo

57
duo genera constituit hominum perfectorum, unum eorum, qui perfecti secundum naturam, alterum illorum, qui perfecti sunt secundum vitam. Et naturam quidem perfectos dicit eos esse, qui liberos habent, bonis moribus praeditos. Unde & homines in magna parentum felicitate ponunt, cum eorundem filios virtutibus deditos vident. Iterum non parum felicitati parentum detrahi videmus, cum liberos habent, qui, refractis honestatis repagulis, in quavis vitiorum genera grassantur, ut ceteris omnibus bonis affluent. Quando filii bene educati moriuntur, tum tanto majorem in animis parentum excitant dolorem, quanto magis compositis fuerint moribus. Requiritur igitur ad plenam, & omnibus modis absolutam beatitudinem, ut liberi ejusmodi parentibus superstites maneat. Unde & Homerus Jovem ipsum inducit ingemiscentem, quod mortem a filio Sarpedone avertere non posset. Neque mirum cui videatur: *Volunt enim viri boni etiam post fata sua, non solum superesse, sed & prodesse in posteris suis Reipublica, inde suscipi liberos, non solum ipsis, sed & patriae, qui sic ipsis sunt voluptati, ut etiam aliquando Reipublica usui esse possint, ut differit Cicero 3. Verriana. Eustratius commentario in lib. 1. Ethic. c. 8. de hoc negotio ita differit: pulchritudine opus est beato ad decorum & dignitatem, quippe cum hominum animi naturam solent ea, quae jucunda visa sunt, amore quodam prosequi, & nescio quomodo erga formosos ad spectu adfici? ut ex eo vel maxime omnium, quae ad civilem spectant, pulchritudo conferre videatur, ad retinendam in fide subjectam multitudinem. Formae enim dignitate, ac pulchritudinis decore ille etus populus, ad spectaculum Principis concurrat. Sed & nobilitatem generis venerari, sicut est contrarium ignobilitatem contemnere consuevimus. Bonorum enim filiorum procreationem laudamus, si quis liberos bene animo & corpore adfectos habeat, qui natura*

*turâ ad bonum apti sint, eaq; appetant, atq; in laude dignis studiis
 versentur. Aliquando etiam gratias parenti habere solemus, eò quòd
 horum bonorum auctor extiterit: ut non solum hoc in gloriam ejus
 redundet; verum etiam ad benevolentiam civium erga ipsum au-
 gendam faciat. Hec igitur omnia cum adsint felici, honorem ac
 beatitudinem augent; cum verò absint, maculam quandam ac la-
 bem adferre consueverunt. Nam si quis speciè deformis admodum
 sit, insipientibus quasi inauspicatus infaustus occurrit, minimèq; ani-
 mò bonus esse creditur, cum pleriq; exterioris corporis specièm occul-
 ti animi signum esse judicent. Si item genere ignobilis sit aliquis, vi-
 tuperabilis ob generis turpitudinem videtur, præteritaq; ignobilitas
 præsentem, vel etiam futuram gloriam offuscet, quippe cum cives
 posteriora præclara facta ad priora generis decora reducant. Naturâ
 autem comparatum est, ut multitudo vituperandi studiosa, admo-
 dum criminationibus gaudeat. Si prætereà, sicut civilium mos est,
 uxorem aliquis duxerit, maneatq; solitarius ac improlis, vitupera-
 bilis etiam is apud cives est. Opprobrium quidem est, liberis carere:
 si quis tamen liberos habeat, qui mali sint, vitiisq; excellant, majus
 adhuc malum est: quippe cum pleriq; soleant patri filiorum impro-
 bitatem adscribere. Si autem sint boni, & mortui fuerint, dedecus
 quidem parenti nulli conciliabunt, mortis enim filiorum causa nullò
 modò esse potuit, non parvum tamen mœrorem adferunt: eò, quod
 is amisit liberos, rem profectò, quæ ab omnibus expetitur ac desi-
 deratur: quæ cum amittitur, voluptatem felici homini, quæ ex bo-
 nis operationibus provenit, interturbat: quàmvis mœrore eo inter-
 dum operationes quoq; impediri consueverunt. H. J. Lylander La-
 cedæmoniorum Dux ad Cyrum dicens, exposcit etiam ad bea-
 titudinem fortunam, dum ita loquitur, teste Xenophonte, in-
 terprete Cicerone in Catone Majori: Rectè Te, Cyre, beatum
 ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta est. Idem censet
 Callima-*

Callimachus, dum virtutem cum fortunâ conjunctam à Jove expetit, sic canendo :

——— *Virtutem da largus, opesq;*

Non sine virtute haud reddit fortuna beatum;

Nec sine fortunâ virtus: da dexter utrumq;!

Pindarus quoq; in Pythiis, *multum, inquit, valent divitiæ, virtute duce, comite fortunâ parte, quarum multi semper sint comites. Et in Olympiis: Ad summum virtutis fastigium labore & fortunâ tanquam Deo Duce.* Idem docet Philosophus porrò nō solùm lib. 1. Eth. c. 8. sed & 1. ult. c. 8. Ubi de virò beatò differēs, hæc habet: *Cōmodis externis, cū homo sit, indigebit.* Et rursus: *Certè opus est valere & vigere, præsidiaq;, alimēta necessaria, reliquumq;, cultum suppetere.* Et 1. 7. Pol. c. 1. *Hoc nunc supponatur, optimam vitam cum seorsum singulorum, tum publicè ipsarum civitatum esse eam, quæ secundum virtutem instituitur, & eò usq;, bonis fortune ditata est, ut actionum virtutis particeps sit.* Quibus addatur etiam Archidamus Thurius in fragmentis Pythagoreorum, quæ collegit Stobæus, qui videatur.

27. Mirum igitur est, quòd Stoici negaverint, aliquid momenti habere in Summò Bonò bona corporis & externa. Causa autem hujus est, quòd docerent: hominem nihil aliud esse, quàm animam, quæ est in corpore; corpus autem dicebant esse carcerem hominis, prout testatur Simplicius in præfat. comment. in Enchiridion Epicteti. Unde Anaxarchus in mortariò pistillis contusus, *Anaxarchum, clamabat, non tundis, sed Anaxarchi folliculum.* Et Cicero in paradox: *Cum M. Reguli, inquit, corpus caperetur, capi certò ipse non potuit.* Bona corporis arbitrabantur nihil pertinere ad hominem. Porrò Stoici beatum suum eò usq; evehebant, ut eo mortalem quendam Deum facerent, *fecerunt eum, ut Simplicius loc. citat. loquitur, Deo-*

G

rum

rum collegam, ex aſſe iis aequalem. Idem Seneca, unus ex Stoicis, exiſtimavit, dicendo: *Deus ſapientem non vincit felicitate, etiamſi vincat etate*, Ep. 73. Et Epist. 31. *Hoc eſt Summum Bonũ, quod ſi occupas, incipis Deorum eſſe ſocius, non ſupplex. Quomodo, inquis, iſtò pervenitur? Tutum iter eſt, jucundum eſt, ad quod natura inſtruxit. Dedit Tibi illa, quæ ſi non deſerueris, par Deo ſurges. Conceſſo jam, beatum eſſe parem Deo, reſultat, eundem non indigere bonis corporis & fortunæ, quum Deus iisdem non indigeat. Quare Aratus in Phœnomenis,*

Aude, inquit, hoſpes contemnere opes, & Te quoq; dignum Finge Deo.

Et Seneca Epistolâ 18. *Nemo alius dignus eſt Deo, quàm qui opes contemſit. Ulteriùs: bona fortunæ nequidem bona dicenda eſſe, adſerebat: rationes has reddebat: quòd non expleant cupiditatem appetentis: poſſidenti non nunquàm ſint noxia: etiam in improbos cadant; nec denominent poſſidentem, cum fieri queat, ut quis in maximâ ejusmodi bonorum abundantia, tamen ſit, & dicatur non bonus: deniq; non poſſint ſine formidine aliqua eſſe, aut in tuto res ſuas collocare, qui bonis illis ſunt inſtructi; Verùm hæc omnia fundamenta, in quibus ſententiæ ſuæ præſidium ponunt Stoici, nihil habent ſolidi. Quòd dicant, hominem ut homo, non conſtare ſimul corpore, ſed unicè animâ, id falſum eſt. Omnis enim homo eſt compositum ex corpore & animâ: unde & ſeparatio animæ à corpore non niſi accidentaria eſt, & planè violenta. Et, utut anima ſeparetur à corpore, habet tamen anima tendentiam & inclinationem ad corpus, nempe illa, quæ eſt ſeparabilis à corpore, qualis eſt intellectus. Deinde *διὰ νοῖα*, quæ eſt potentia concludendi, cujus habitus eſt ſcientia, quæ opponitur rationi, ut quæ eſt potentia conſultandi, cujus habitus ſunt prudentia & ars: *διὰ νοῖα* in quâ, quæ*

quæ ad rationem hominis, quâ homo est, primariò pertinet, ut Philosophus docet. lib. 9. Eth. c. 4. ne quidem subsistere potest in se, sinè corpore. Nam illa, quoad suos habitûs & operationes dependet à corpore. Id quod ex multis obvium est. Quo mutatò, aliquid in illo simul commutatur in habitibus & operationibus, id dependet ab illo, quo mutatò commutatur: sic rubor in corpore humanò, mutatò eo, commutatur, & dependet quoq; à corpore. Jam mutatò corporis temperamentò, siue morbò, siue etiam alio aliquo casu, nonnunquam sic labefactatur *διάνοια*, ut homo, quibus ante bene valebat, habitibus *ἀνοίας*, & ejusdem operationibus planè evertatur, & planè fiat rudis atq; ignarus. Hermogenes juvenis fuit orator ingeniosissimus, superabat is omnes suæ ætatis: hinc non solùm, cum aliquandò ex tempore verba faceret, Imperatorem sui temporis, & omnes alios, in admirationem sui rapiebat; sed & anno circiter decimo octavo Rhetoricam insignem, quæ adhuc superstes est, & meritò doctissimorum teritur manibus, publici faciebat juris. Is cum natales anni vigesimi quarti ingrederetur, de rationis statu ita exturbatus fuit, ut facultatem dicendi penitus amitteret, atq; inde in proverbium manaret: *Hermogenes inter pueros senex, & inter senes puer*. Quod habet Philostratus Lemnius, & ex eo Suidas. Idem evenisse Sleidano, ut omni suâ excideret scientiâ, quidam referunt. Quò fit, ut *ἀνοεία* apertè dicatur affectio totius compositi, perinde ut videre, audire, odisse, &c. atq; marcescere aliquo membrò interiùs corruptò, ac interire destructò compositò lib. 1. de animâ text. 66. Quin lib. 4. de partibus animal. c. 10. de dianoiâ expressim dicitur, quòd à corpore pendeat. Et sect. 14. problemat. quæst. 1. illius & corporis idem perhibetur esse temperamentum. 2dò non sine temeritatis notâ Stoici scriptitant; virum suum beatum Deo parem esse; humanum

num enim id bonum est, quod ex actionibus comparatur. *Et tale bonum*, ait Philosophus, *quod sub actionem cadit, & ab homine comparari potest* l. i. Eth. c. 10. Non est bonum simpliciter, sed bonum nobis, quod homini summum sit, ut rursus Philosophus ait, l. i. m. m. c. 1. Quum igitur illud bonum sit hominis, & verò homo sit mortalis, variæq; fortunæ obnoxius: fieri non posse videtur, ut bona fortunæ ab illo bono simpliciter excludantur. Neq; rationes illorum tanti sunt, ut iis illa bona bonorum numero excutiantur. Illæ enim nihil aliud evincunt, quàm hoc, quòd in bonis fortunæ non sit ponendum ipsum Summum Bonum, quod nec nos negamus. Dicimus, ista qualemcunq; respectum habere ad beatitudinem civilem, non dicimus, in iis eandem positam esse. Sicut corpus est instrumentum animæ, quo illa utitur ad suas operationes: ita & bona corporis sint instrumenta beatitudinis. Idem iudicium esto de bonis externis. Aliud est, Summum Bonum non posse esse sine bonis corporis & externis, & aliud, S. B. esse ipsa bona. Quomodo & Philosophus lib. i. Eudem. c. 2. differit: *Sicut unum & idem non sunt illa, sine quibus nemo sanus esse potest, & ipsum illud esse sanum: ita nec idem sunt bene vivere, & ea, sine quibus bene vivere non licet. Quod mirum non est, cum ipsa vita sine multis esse nequeat, in quibus tamen vita ipsa sita non est. Sic homo sine respiratione non potest vivere, nec tamen respiratio ipsa vita est: nec somno carere vita potest, licet ipsa vita non sit: sed nec sine cibo & potu conservari potest vita, numquid verò ideo dicemus, quòd in his vita ipsa consistat.* Scilicet beatitudo in solâ virtutis actione consistit, sed indiget quibusdam instrumentis, sine quibus exeri nequit: v. gr. solo auditu audimus, solo visu videmus, at tamen non excluditur auris, non excluditur oculus, quibus illa indigent ut instrumentis. Ut autem aliquid instrumentum sit beatitudinis, non
necesse

necesse habet, esse summè Bonum, sed sufficit, esse simpliciter bonum, i. e. non esse inter Bonum Summum, d. inter bona tantum. Bona corporis verò & externa non esse simpliciter bona, per rationes illas supra inductas non obtinent Stoici. Non imò statim bonum esse desinit, quod non explet bonum appetentis. Sic primus gradus virtutis non explet appetitum, aliàs enim gradus secundus, tertius & sequentes essent frustrà; ast quis primum virtutis gradum ex numero bonorum eliminabit. Fieri enim nequit, ut ex bonis unum bonum fiat. 2dò nec id bonum esse cessat, quod aliquando possessori potest esse noxium. Sic fortitudo potest esse interdum nociva, v. gr. si fortis vulnera accipiat: sic liberalitas potest nonnunquam esse noxia, si liberalis rei familiaris lacunam sentiat, item veracitas, cum verax hosti fidem, suo malò & damnò, servat. Distinguendum hìc inter id, quod per se & per accidens noxium est. Illud quod per se est noxium, non est ponendum inter bona; non verò id, quod per accidens: Optimarum enim rerum potest esse abusus, v. gr. scientiæ, artium &c. lib. i. Rhet. c. i. Jam bona corporis & externa non nisi per accidens sunt noxia. 3tiò nec id bonum esse desinit, quod in improbos cadit. Quod si sic, nec solem oriri, nec pluviam cadere statis temporibus, bonum aliquando non esset: quia sol aliquando oritur, & pluvia aliquando cadit super probos & improbos. Rursus confunditur id, quod fit per se, & quod fit per accidens. Quod per se in improbos cadit, id bonum est, sed nihil horum de eo, quod per accidens in eosdem cadit. 4tò Neq; id sequitur, id non est bonum, quod possidentem non sic denominat, utut illud in copiâ eidem adsit, perinde ut quicquid non per propriam appellationem subjectum suum denominat, illud non habeat eandem appellationem: sic v. gr. dentes albi Æthiopem non denominant album,

numne propterea Æthiops non habet dentes albos? sic intellectus non denominat hominem immortalem, at quis dicet, hominem non habere intellectū immortalem? æquivocatio est in voce boni: aliud est bonum tale per excellentiam κατ' ἐξοχήν, aliud est in remissiori gradu. Jam homo denominatur à bono, per excellentiam tali, quale est bonum honestum, sed nihil horum de iis bonis, quæ talia sunt in remissiori gradu, quò pertinent quoq; bona corporis & externa. sed quando dicunt, illos non posse esse sine formidine, qui illis bonis sunt instructi, id verum tantū est de iis, qui apicem felicitatis ponunt in iis bonis; non verò de iis, qui hoc non faciunt, qui iis tanquam instrumentis utuntur. Tantus enim eos habet animus, ut fortunā adversā, quācū illi conflictātur, superiores sint. Similis est quivis bonus optimo Imperatori, qui, si non potest eo exercitu, quo velit, saltem eo, quem habet, fortiter pugnat. Quod graphicè nobis idem Seneca, qui, licet studium Stoicæ sententiæ ubiq, in scriptis suis excitet, depingit, dicendo: *Phidias sciebat facere simulacra non ex ebore tantū, faciebat etiam ex ære: si marmor illi, si adhuc viliores ei materiam obtulisses, fecisset quale ex illā optimum fieri posset. Sic sapiens virtutem, si licebit, in divitiis explicabit; sin minus, in paupertate: si poterit in patriā; sin minus in exiliō; si poterit, Imperator; sin minus miles: si poterit, integer, sin minus debilis. Quamcūq, fortunam acceperit, aliquid ex illā memorabile efficiet.* Epist. 85. Quum igitur vir bonus ad omnem casum sit indifferens, & novit pessima quævis moderatè ferre, cur non, ubi abundat bonis corporis & externis, otiosus esse possit ab omni formidine, quia animi non mutabitur. Diceret verò, quod si extra illa bona secundum virtutes agere possit, utiq, illa peragendis virtutum actionibus non sunt instrumenta. Verūm cadaver consequentiæ. Simile habet hujus; Bonus navi-

navigator lacerò velò navigare potest. Erg. integrum & rectè dispositum velum non est secundæ navigationis instrumentum. Peritus quidem gubernator laceratò velò navem agere potest, verùm non tam commodè, quàm si integrò ad navigandum utatur velò, ut quod illa, quæ velum objicit lacerum, excludit impedimèta. Similiter utut vir bonus, fortunæ iniquioris calcibus petitus, qualem oportet, se gerat; tamen in actionum honestarum exercitiò non parùm impeditur. v. gr. Si quis in facultatibus suis præcipitia tulerit, nec, unde sumtùs faciat, habeat, is in actionibus liberalitatis impeditur; si sæviente graviore morbò, corpus alicujus virium patiatur deliquium, quomodo is ex fortitudine agat & pugnet? nec temperanter quis aget, quem potus & cibus destituit, in quibus temperantia versatur. Neq; cuiquam in animum veniat colligere, quòd, cum aliorum bonorum adminiculò indigeat, beatitudo non sit bonum perfectum: nam id fit non per se, sed per accidens; non suà causà illis eget, sed subjecti causà, scilicet illarum rerum, in quibus actio secundum virtutem versatur, quæ disponi ac perfici non possunt sinè illorum subsidiò, prout rectè docet Eustratius comment. in 1. Eth. c. 8. Quemadmodum bonus paterfamiliàs non suà causà indiget servis & ancillis (iis enim, quæ ad bonum patremfamiliàs pertinent, jam satis instructus est) sed rei familiaris causà, ut quæ, cum ejus administratio ad patremfamiliàs pertineat, aliorum non succurrente operà, administrari nequit.

28. Quibus ad perpendicularum positus, obscurum esse nequit, quàm accurata sit Aristotelis definitio de Summò Bonò Practicò, quæ ita habet: *Est ἐπέπεια operatio animæ rationalis secundum virtutem perfectam ac optimam in vitâ perfectâ* ex librò 1. Eth. c. 7. Cujus veritas adhuc magis solidatur, quòd Summo Bono

Bono secundum Aristotelis definitionem cum omnibus iis congruat, quæ ab aliis in communi de felicitate dicuntur. Communis sapientum sententia tenet, animi bona jure præcipui bona esse. Bona enim nō sunt unius generis, quod ex suprâ dictis constare potuit: duo bonorum genera sunt in nobis, quorum alia corpori insunt, alia animæ, & unum est eorum, quæ extra nos sunt, qualia sunt honor, opes &c. Jam Summum Bonum Humanum est ex illo bonorum genere, quæ animæ insunt, quippe est operatio animæ rationalis. 2dò Pervagata sapientum sententia existimat, beatum bene vivere & bene agere, ut etiam Plato dicat lib. 1. de Republicâ in fine: *beatus & felix est bene vivens*. Idem cadit in prædictum Summum Bonum humanum, nam est operatio seu actio, & verò vivere nihil aliud est quàm agere, ut docet Philosophus lib. 9. Metaph. c. 8. 3tiò, inter varios opinionum conflictus, in Summò Bonò ponitur vel virtus, vel prudentia, vel sapientia, vel hæc omnia, vel aliquod horum, sive cum voluptate, sive certè non sine voluptate: quibus quidam adjungunt moderatam copiam bonorum fortunæ. Hæc omnia inveniuntur in definitione Summi Boni, quam nos ex Aristotele accepimus. Sic virtus, in qua quidam Summum Bonum ponunt, continetur in definitione, quippe Summum Bonum definitur esse *operatio secundum virtutem*. Multùm, ut jam ante monuimus, refert, ut S. B. Humanum collocetur in usu virtutis, non in ejus possessione. Quod vel inde enotescit, quòd fieri possit, ut habitus, qui insit, nihil boni efficiat, v. gr. si is, qui habitu instructus est, dormiat, aut etiam otio litet. Sed nihil horum de operatione virtutis. Sicut igitur in ludis Olympicis certantes coronabantur, non ii, qui in ludum quidem veniebant, corporis viribus pollentes, & ad pugnandum apti, sed nihil pugnantes & certantes: sic & felicitatis coronam

iis tradi non convenit, qui habitu virtutis quidem præditi sunt, sed nihil laudabile secundum eundem operantur.

29. Est etiam beata vita cum voluptatis sensu conjuncta, quod jam aliquantò curatiùs considerabimus, quia fuere quidam, qui & hoc pugnacissimè negârunt, & rursus, qui essenti- am Summi Boni in voluptate posuerunt. Quidam inter vete- res Philosophos fuere, qui Summum Bonum ab omni remove- runt voluptate: alii quidem Summum Bonum honestatē judi- cârunt, sed neq; cum dolore, neq; cum voluptate conjunctam. In hâc sententiâ fuisse legimus Diodorum. Cujus testis locu- ples est Cicero, qui, ubi quosdam, qui Summum Bonum in ho- nestate collocaverint, nominaverat, addit: *Diodorus ad eandem honestatem addit vacuitatem doloris.* l. 2. de finibus bon. & mal. n. 19. Cui subscribit Lactantius l. 3. de falsâ sapientiâ c. 7. p. m. 251. Edit. Servatii Gallæi, dicens: *Diodorus cum privatione doloris Sum- mum Bonum posuit.* Hæc vacuitas doloris, ut Cicero testatur, est medium inter dolorem & voluptatem, ita enim ipse: *Quid enim est, qui non videat, hæc esse in naturâ rerum tria? unum, cum in voluptate sumus, alterum cum in dolore: tertium hoc quidem in quo nunc sumus. Credo quidem vos nec in dolore nec in voluptate.* Quod paulò antè appellavit *vacuitatem doloris.* l. 2. de finib. bon. & mal. n. 16. mihi tom. 4. p. 79. Quin Cicero de eo, cui voluptas & vacuitas doloris idem esse videntur, adfirmat, quod vim sen- sibus adferat, ita enim ait: *hoc est (nempe dicere voluptatem & vacuitatem doloris idem esse) vim adferre, Torquate, sensi- bus: extorquere ex animis cognitiones verborum, quibus imbuti su- mus.* dict. l. 2. de finib. bon. & mal. n. 16. Ex quibus patescit, quòd, qui Summo Bono adjunxerunt privationem doloris seu indolentiam, eandē opposuerint & dolori & voluptati, adeoq; Summum Bonum sine voluptate esse judicârint. Alii Summum Bonum unicè in indolentiâ posuerunt, v. gr. Hieronymus, qui-

H dam

dam ex veteribus Philosophis, qui longè ante Ciceronem vixerat. Hanc hujus Philosophi fuisse sententiam, Cicero & Lactantius quoq; testatum faciunt. Cicero quidem, dum ait: *Hieronymus Summum Bonum statuit non dolere.* l. 2. de finibus bon. & mal. n. 19. Et Lactantius prædictò locò: *Hieronymus Summum Bonum posuit in non dolendo.* De hoc Hieronymò expressim ait Cicero laudatò locò: quòd Hieronymus, cum egregiè Græcè loquatur, tamen nunquàm voluptatis nomine utitur pro illà indolentiâ, quibus addit: *quippe qui ne in expetendis quidem rebus numeret voluptatem.* H. J. Ast ruerunt ipsi in hoc statuendo, omninò Summum Bonum jucundum est, & voluptatem adfert, cujus quis amore tenetur: quippe amor causa jucunditatis est: quomodo qui amat equos, ei equi jucundi sunt, qui amat vinum, ei & vinum jucundum est. Similia sunt, quæ Aristoteles habet l. 1. Eth. c. 8. §. 18. *ἐκάστῳ δε δὲ τὸν ἡδὺ, πρὸς ὃ λέγεται, φιλοσοῖται,* i. e. *Unicuiq; id jucundum est, cujus dicitur esse, amator, ut equorum amatori equus, spectaculorum amatori spectaculum.* Jam ille, qui civiliter beatus est, seu cujus bonum est beatitudo civilis, est homo civiliter bonus. Civiliter verò bonus est is, qui amat ea, quæ sunt ex virtute. Unde Philosophus: *Bonus non est, qui bonis non gaudeat actionibus. Nemo eum justum appellaverit, qui non gaudeat eo, quòd justè agat: neq; liberalis, qui non gaudeat liberalibus actionibus. Similiter autem & in aliis.* l. 1. Eth. c. 8. §. 21. & 22. Quod si jam id jucundum esse, & voluptatem adferre dicitur, cujus amore quis tenetur: & verò is, qui est civiliter beatus, amat actiones, quæ ex virtutibus sunt, ut quæ Summum Bonum: evidens est, Summum Bonum voluptatem adferre, seu cum voluptate conjunctum esse.

30. Quæ voluptatem inducunt, seu quæ jucunda sunt, alia sunt, quæ voluptatem ex se habent, alia, quæ ob aliud acciden- ter voluptatem adferunt. Idem monet Eustratius comment. in

1. 1. Eth. Arist. c. 8. §. 19. dum ait : *Quoniam in vitâ voluptates multe sunt, & jucunda diversa, ex quibus voluptates fiunt, & alia ex se jucunditatē habent, alia ad aliud spectando: ut sapientia & virtus, earumq; operationes per se jucunda sunt, licet nonnulli sint, qui ex judicii depravatione ea non amēt: equus verò, spectaculū, vinum, piscis atq; hujusmodi cetera per se quidem & naturâ jucūda minimè sunt, sed illis tantūm, qui talium rerū sunt amatores, vidētur jucunda.* Ex his Eustratii facilè patescit, quid sit jucundum ex naturâ suâ, quid jucundū per accidens. Jucundum per accidens id esse videtur, quod ex adfectu aliquo pravò alicui voluptatem adfert, v. gr. vinum dulce ex adfectu, non ex se, alicui jucūdam est, alteri enim qui tali non laborat adfectu, jucundum evenit vinum austerrum, acidum, vel aliū generis. Quò respicit rursū Eustratius d. 1. §. 20, scribendo: *Pleriq; enim, i. e. vulgus, jucunda inter se pugnantia habent: quippe cum alius dulcia amet, alius salsa, hic equos, ille arbores, hic splendidis, ille squallidioribus indumentis delectetur, nonnulli vini dulcis potionem, alij austeri adfectent, ut hinc pateat, non esse hæc naturâ jucunda, sed illis solummodò, qui ita sunt adfecti.* Jucundum naturâ est, quod ex se jucunditatem habet, non per pravum aliquem adfectum, neq; per aliud ad quod respiciatur, ut sapientia. Statuamus jam, utrò modò actio virtutis seu beatitudo civilis sit jucunda ! Dicimus quòd, illa jucunda sit naturâ: nam actio virtutis jucunda est semper iis, qui rectè adfecti sunt, qui pravò aliquò adfectu non præpediuntur. Idem observat Eustratius d. 1. *Actiones virtutum jucunda videntur non sensui irrationali deditis hominibus, sed rectè sentiantibus, qui & rectè judicant, & ratione vivunt.* Qui verò sunt illi, qui rectè adfecti sunt, aut ut Eustratius loquitur, qui rectè sentiunt? Sunt virtutibus seu honestati dediti, sive viri boni, hinc illi mensura dicuntur actionum, ut Aristoteles passim docet: Et

hæc est causa, cur Philosophus jucunditatem, quæ est naturâ talis, ex honestati deditis judicat, dicens: *iis autem hominibus, qui studiosi sunt honestatis, ea sunt jucunda, quæ sunt naturâ jucunda.* l. i. Eth. c. 8. §. 20. juxta Editionem Dionysii Lambini: Et juxta Editionem Antonii Riccoboni §. 8. Nec negat Philosophus, actiones virtutum honestati studiosis esse jucundas, dicit enim expressim, *qualia* (nempe honestati studiosis jucunda) *sunt illa sola, quæ ex virtute aguntur.* Paucis hîc omissis adjungit: *Nam præter ea, quæ jam dicta sunt, etiam non est is vir bonus, qui honestis actionibus non delectatur: idemq; de ceteris sentiendum: Nemo eum justum appellaverit, qui non gaudeat eo, quod justè agat: neq; liberalem, qui non gaudeat liberalibus actionibus.* l. i. Eth. c. 8. §. 20, 21.

31. Quæcunq; naturâ sunt jucunda, illa non indigent adscititiâ aliquâ voluptate, tali scilicet quæ sit extra se: nam naturâ jucunda habent in se inclusam voluptatem; quæ verò voluptatē in se habent, non indigent aliâ aliquâ extra se. Quū beatitudo civilis, seu actiones virtutis naturâ suâ jucundæ sint: omninò tenendum est, easdem non indigere aliâ aliquâ voluptate, quæ non ex actionibus virtutis, sed aliundē capiatur. Quod idem exprimere studet Philosophus, dum ait: *In multis igitur jucunda pugnant, propria quòd non sunt talia naturâ. Viris enim rerum honestarum amantibus jucunda sunt, quæ naturâ jucunda sunt. Tales autem ex virtute actiones sunt. Quare & his sunt jucundæ & per se. Jam ipsorum vita non indiget voluptate, tanquàm aliquâ appendice: sed in se ipsâ retinet voluptatem.* l. i. Eth. c. 8. §. 20. Equidem diffiteri non possumus, pericula capitis adire, dolores sustinere, ipsam mortem pro patriâ oppetere, esse molesta, injucunda: neq; negamus, pro salute cōmuni pericula capitis subire, vulnera, dolores, ipsam mortem sustinere, esse secundum virtutem,

71

tutem, nempe secundum fortitudinem, agere; Verum hoc no-
scendum, pericula, quæ pericula simpliciter, dolores quæ tales
simpliciter, item mors quæ sic, sunt molesta ac injucunda, sed
jucunda viris, virtutibus. deditis, ut qui, quod supra ostendimus,
in iis omnibus, quæ ad honestatis ac virtutis sapiunt gustum,
unicè faciunt delicias. Similia, quibus concinnè cum mente
nostrâ congruit, suggerit nobis Eustratius, prædictò locò sic scri-
bens: *Quin etiam, cum aliquis fortiter aliquid operando labores
maximos subit, doloresq; sustinet, in eo quoq; voluptatem capit: pro-
pterea quod dolores, laboresq; omnes, boni honestiq; exequutio su-
perat. Adde etiam, quod si contingat, ut fortiter agendo aliquis ad
mortem ipsam impellatur, modò pro honestate ac virtute periculum
sit, mortem gloriosam ignobili vita semper anteponet. Neq; sanè illa
sibi velle molesta, judicare videtur Seneca, dum in hæc solvitur
verba: Distingue, mi Lucili, ista, & intelliges esse in illis aliquid op-
tandum. Tormenta abesse à me velim, sed, si sustinenda fuerint, ut
me illis fortiter, honestè, animosè geram, optabo. Quidni ego malim
non incidere bellum? sed si incidere, ut vulnera, ut famem, & omnia,
quæ bellorum necessitas fert, generosè feram, optabo. Non sum tam
demens, ut egrotare cupiam: sed si egrotandum fuerit, ut nihil in-
temperanter, nihil effeminatè faciam. Quibus egregiè subjungit,
à mente nostrâ non alienum: Ita non incommoda optabilia sunt,
sed virtus, quæ perferuntur incommoda. Paucis omissis addit: si
fortitudo optabilis est, & tormenta patienter ferre optabile est.
Epist. 62. p. m. 653. A quibus neq; abhorret ipse Cicero, qui sic
scribit: Omnino fortis animus & magnus duabus rebus maximè
cernitur: quarum una in rerum externarum dispiciendâ ponitur,
cum persuasum sit, nihil hominem, nisi quod honestum, decorumq; sit,
aut admirari, aut optare, aut expetere oportere: nulliq; neq; homini,
neq; perturbationi animi neq; fortuna succumbere. Altera est res, ut,*

cum ita sis adfectus animò, ut suprà dixi, res geras magnas, illas quidem & maximè utiles, sed vehementer arduas, plenasq; laborum & periculorum &c. l. 1. de Officiis n. 66. t. 4. p. m. 475. Mirum igitur est, quòd quidam inter veteres in hanc iverint sententiam, ut, vel domesticà honestatis voluptate non contenti, vel nullam voluptatem in honestate agnoscentes, sancirent, perigrinam aliquam aliam, tanquàm perfectionem honestati adjungendam esse, voluptatem. In hâc sententiâ fuisse imprimis Callipho & Dinomachus legitur. Cicero sententiam prioris, tanquàm distinctam ab Aristotelis sententiâ, ita refert: *Aristoteles virtutis usum cum vitæ perfectæ prosperitate conjunxit: Callipho adjunxit ad honestatem voluptatem.* l. 2. de finibus bon. & mal. n. 19. t. 4. p. m. 80. Ubi sanè intelligatur voluptas, à virtute extrinseca, necesse est; aliàs quomodo hâc sententia, tanquàm distincta ab Aristotelis, à Cicerone efferri potuit. Idem censere videtur L. Cœlius Lactantius, dicens: *Callipho & Dinomachus Cyreneaci honestatem cum voluptate junxerunt.* l. 3. de falsâ Sapientiâ. c. 7. p. m. 251.

32. Ex præcedaneis quoq; obvium est, quòd bona corporis & bona fortunæ ad unum Summum Bonum referenda sint, quæ alii etiam ad felicem requisiverunt: proinde rursus procedimus ad Stoicorum sententiam, & quidem illam, quâ statuerunt, Summum Bonum esse secundum naturam vivere. Quæ sententia aliquâ nostram contingit cognatione, dummodo rectè intelligatur. Meminit placiti hujus Stoicorum Seneca lib. de vitâ beatâ cap. 8. *Idem est beatè vivere, ac secundum naturam.* Et c. 3. *Beata vita est cõveniens naturæ suæ.* Quò respicit Philo, dum lib. de plantatione ait: *Consequenter naturæ vivere, felicitatis finem dixerunt Prisci.* Quid per naturam intellexerint Stoici, non eadem omnium de hâc re est sententia. Quidam
per

per eam naturam communem intelligunt, ut secundum naturam vivere, idem sit, ac Deo ipso Duce. Hunc enim Stoici passim naturæ appellatione indicant. *Quid aliud*, ait Seneca lib. 4. de beneficiis c. 7. *natura quàm Deus & divina ratio, toti mundo & partibus ejusdem inserta?* Et lib. 2. *Quæstion. natural. c. 45. Vis Deum naturam vocare? Non peccabis. Est enim, ex quo nata sunt omnia.* Similiter Plinius, qui passim in Stoicorum sententias digitum intendit, lib. 2. c. 7. *Declaratur natura potentia id esse, quod Deum vocamus.* Et rursus: *Hic est Deus, per quem intelligitur eadem, & parens rerum omnium, & magistra, natura.* Egregiè in hanc rem Clemens Alexandrinus lib. 2. *Stomatium Stoici secundum naturam vivere finem esse decreverunt, Dei nomen in natura decorè commutantes.* Hanc suam mentem ipsi Stoici satis apertè ferunt. Sic enim Epictetus apud Arianum, 1. diss. c. 20. *Finis est, sequi Deum.* Sed & in Breviario huc respicit c. 38, dum ait: *Oportet se ipsum ita conformare, ut diis pareamus, & acquiescamus in omnibus, quæ eveniunt, & volentes sequi, & quæ ab optimâ mente fiant & proficiantur.* Seneca Stoicæ sententiæ additissimus, similia habet, dum Epist. 107. dicit: *Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit.* Et lib. de vitâ beatâ. c. 15. *Sapiens, quicquid evenerit, sciet legem esse naturæ, habebit in animo illud vetus præceptum, Deum sequi.* Alii tamen per naturam intelligunt naturam hominis propriam, Quò digitum intendit Cicero lib. 1. *Officiorum.* *Sic est faciendum, ut contra universam naturam nihil contendamus, & eâ tamen conservatâ, propriam sequamur.* Propria enim hominis natura est ipse ratio: prout exponit Epictetus apud Arianum lib. 1. c. 11. *Etc. 2. Bonum hominis, ait, esse* *ωγαίρεσις τῶν φαιλασιῶν electionem visorum.* (quæ est appetitus rationalis) *Quamobrem doctrinâ, institutione nempe accuratâ, quæ rationem formet, vel perficiat, egemus, ut judicium habeamus*
de

de probabili atq; improbabili, atq; id rebus singulis accommodare
 queamus convenienter natura. Unde hæc scriptum iuit Seneca
 Epist. 76. *Homini Summum Bonum est ratio: hanc si perficit, lauda-
 bilis est, & finem natura sua attigit.* Si mentem Stoicorum cu-
 ratiùs ventilemus, deprèndemus; hæc à se invicem non distare.
 Ratio enim Stocis erat particula ipsius Dei: quod constat ex
 verbis Epicteti apud Arianum lib. 1. Diss. c. 14. ita habentibus:
*anima ita illigata & conjuncta Deo sunt, ut particula ejus sint & de-
 cerpta.* Et Cicero §. Tuscul. *Humanus, ait, animus decerptus est
 ex mente divinâ.* Forfan hoc acceperunt à Platonis, qui idem
 docuere. Quod indicat Plutarchus in *Quæstionibus Platonis*
 ita differens: *anima mentis & ratiocinationis particeps, non solum
 Dei est, sed & pars, neq; ab ipso, sed ex ipso est facta.* Qui ergo do-
 cent, naturæ conveniens est esse rationi conveniens, & rursus
 qui docent, naturæ conveniens est esse Deo conveniens, ita ad-
 invicem non pugnant, sed idem videntur sentire. Hæc causa
 est, cur Stoici frequenter, & alii etiam, Deum, & rationem se-
 qui conjungant, vel etiam in promiscuo habeant, veluti Plutar-
 chus lib. de audiendo: *idem est, sequi Deum, & sequi rationem.*
 Jam autem id conforme est rationi scilicet rectæ (ea enim hic
 intelligitur) quod ad virtutem ducit: vita igitur naturæ tam
 communi quàm propriæ hominis consentanea alia non est,
 quàm vita ex virtute. Quod non obscure ipsi Stoici indicant:
 Cicero lib. 2. de finibus ait: *Stoicis finis est consentire naturæ:
 quod volunt esse è virtute, id est, honestè vivere.* Similiter Philo
 Judæus de migratione Abrahami. *Hic est ille finis summus, qui à
 præstantissimis (Stoicis) celebratur, juxta naturam vivere, quod fit,
 quando mens semitam virtutis ingressa, per vestigia rectæ rationis
 incedit, & Deum sequitur, memor ejus præceptorum, & habens ea
 rata dictis factisq; omnibus.* Hinc Seneca: *Ratio perfecta virtus.*
 Epist. 76.

Epist. 76. Ab his non absunt, qui docent, Summum Bonum esse animi concordiam. Tum enim, concors & in unum spirans Symmetria est in animò, quando ratio præscribit honesta, & ea appetitus sequitur: ut verè dixerit Seneca Epist. 74. *Virtus convenientiâ constat, omnia opera ejus cum ipsâ concordant & congruunt.* Conferatur lib. de vitâ beatâ c. 8. Quando verò Stoici virtutem dicunt, tum virtutem videntur intelligere in actum se exerentem: quippe Epictetus apud Arianum dicit: *actiones esse habitibus perfectiores*, dum ita loquitur lib. 2. Dissert. c. 18. *Omnis habitus & facultas consentaneis operibus continetur & augetur.* Quando autem virtutes ab actu distinxerant, tum fortè intellexerint actum transeuntem, non immanentem, atq; adeo essentiam felicitatis visi sunt posuisse non quidem in actu virtutis transeunte, sed immanente: idq; non temerè: nam actus immanentes sunt dirigentes; transeuntes verò directi. Jam verò dirigens præstantius est directò, ut imperans eò, cui imperat: felicitas verò debet in præstantiori parte collocari.

33. Ex his omnibus enotescit, quàm accuratè Aristoteles Summum Bonum Humanum ita definiverit: *Summum Bonum est operatio anime rationalis secundum virtutem perfectam ac optimam, in vitâ perfectâ* l. 1. Eth. c. 6. & sequentibus. Ubi per *virtutem perfectam* intelligit virtutem universalem: per *virtutem optimam*, justitiam universalem cum prudentiâ conjunctam: per *vitam perfectam*, certò respectu omne vitæ tempus, & certò respectu ætatem virilem, certò tandem respectu vitam Imperantium. Quibus exasse cum iis congruit, quæ suprâ induximus & probavimus. Antequàm verò finem faciamus, expediendum priùs est dubium, quod objici posse videtur. Primò non verisimile est, Summum Bonum, quod tradidimus, in tantâ perfectione dari posse: nemo enim facilè est, qui per omnes vitæ

I

par-

partes, seu per omnem ætatem ex virtutibus, optimò earundem usu, optimâ ratione, vixerit: non statim à primò vitæ consistentis tempore vitam vivimus Imperantium. Resp. ita est, Summum Bonum in tantò perfectionis gradu vix ac ne vix, datur. Sed cadaver consequentiæ est. Erg. Summum bonum in tantò perfectionis gradu non est definiendum. Noscendum est, Summum Bonum esse ex iis, quæ ad actionem pertinent; at verò ea, ut docet Philosophus, sunt definienda in absolutissima perfectione, quò quisq; iis intentus, quàm proximè ad perfectionem hanc accedere laboret. *Non definiuntur, inquit, prout reipsà sunt, in hac universitate, sed ut futura essent, si alicubi existerent perfectæ.* Videatur. lib. 6. Topic. c. 12 §. 6. Ubi unquam Respublica in tanto perfectionis gradu fuit, in quanto eam Aristoteles in Politicis describit, numme propterea Aristoteles malè eandem descripsit? Quis unquam talem vidit vel audivit Oratorem, qualem nobis depingit Cicero? Imò ipse Cicero non obscurè negat, talem unquam exstitisse Oratorem, dum ait: *ego in summò Oratore fingendo talem informabo, qualis fortasse nemo fuit. Non enim quero, quis fuerit, sed quid illud sit, quo nihil potest esse præstantius.* Videatur Orator ejus n. 7. Quando verò Aristoteles docet lib. 1. Eth. c. 10. Summum Bonum dari, tum non intelligit illud in summò perfectionis gradu, sed in remissiori, quod alià alibi expediemus dissertatione.

Tantum!




Lp 329
8

1000

200







5
QVARTA
REMA-
TICORUM,

uationem
Civilis,

no Numine,

osophorum Ordinis,
t examini

ES
GIUS à Göttingen /
hilosoph. D.,

ENS
VOGELIUS,
brusius.

ocō horisq, solitis
Anni 1673.

NTI,
NERI, SER. ELECT.
TYPOGR.